



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis  
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros  
partitum**

**Laymann, Paul**

**Moguntiae**

7. De absolute Censurae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40716**

NB. Tamen Sacerdos innocens & externè excomm. conuictus de sacrificio occultè celebrato tanquam irregularis à Iudice condemnari potest, quia in foro externo censetur excommunicatus. Quod si monitus desistere nolit, tunc propter contumaciam poterit verè excommunicari. Quod si talis innocenti, secundum alleg. & prob. excommunicato, beneficium conferatur, collatio quidem in se valida & prouisus in conscientia tutus, tamen irritatus Iudice potest. Ratio, quia talis excommunicatio materialiter iniusta, non reddit hominè verè & simpliciter inhabilem; sed solum in ordine ad forum externum & publicam existimationem, quatenus ita necessè est, ratione communis boni, ac disciplinæ.

Ad substantiam Censuræ requiritur antecedens monitio, non tamen tria, nisi in casibus iure expressis.

## C A P. VII.

*De Absolutione & Censura.*

**C**ensura propriè dicta alio modo non tollitur quam legitima absolutione, vt nimirum eadem publica potestate, qua contracta est, etiam dissoluitur. Non enim tollitur per mortem ferentis, & pœna per legitimam Iudicis sententiam infligitur, transit in rem iudicatam, adeoque non finitur morte aut depositione Iudicis imponentis: multo magis quæ à iure imposita pœna est, ab eius auctore pendet, sicut neque ipsum ius, neque statutum: neque per mortem excommunicati, excommunicatio omnino extincta censetur; cum etiam mortui Ecclesiæ suffragijs & sepultura sacra carere debent.

NB. Co

NB. Censura contracta non cessat per se ipsam deposita contumacia, sed per iudicem per absolutionem tolli debet, nisi tali conditione censura lata (quod fieri potest) ut quamprimum à contumacia recesserit, vel satisfecerit, ipso facto absolutus existat. Nam sicuti valor cuiuscunque liberæ concessionis immediate pender à voluntate concedentis; ita & valor absolutionis à voluntate absolventis: consequenter, si is velit, hoc vel illo eueniente concessionem absolutionem uè ratam esse, statim ita erit. Alia ratio est de Sacramentis, quæ (excepto matrimonio) inualidè conferuntur sub conditione pendente in futurum; V. C. absolue te si restitueris; propterea quod ministratio Sacramentorum non dependeat ex libera voluntate, & intentione ministri, nisi ea acta concurrat cum exhibitione materiæ & formæ secundum Christi institutionem.

NB. Reg. 50. in 6. *Actus legitimi conditionem non recipiunt neque diem.* Vera est, sed de ijs actibus tantum, quibus ex propria natura vel institutione repugnat, diei aut conditionis adiectio; licet autem repugnet, censuram propriè dictam ferri ad certum diem vel tempus, V. C. excommunicatus esto ad triennium; propterea quod censura non sit pœna mere afflictiva, sed contumaciæ correctiva; non tamen repugnat censuram ferri sub hac conditione, ut duret, donec in contumacia perseveratur: quamuis non sit inoris, tali modò censuram decernere, ut præstita satisfactione expiret censura; sed potius ut à Iudice per legitimam absolutionem auferatur.

A censura lata per sententiam particularem is tantum absoluit, qui eam tulit, vel eius superior, successor, aut delegatus; quia eiusdem & soluere & ligare;

M

&amp;

& par est ius soluendi & ligandi, intellige, dummodo iurisdictio in illo daret.

NB. Delegatus habet potestatem intra annu-  
tium, etiamsi tempus delegationis finitum sit, si  
posita contumacia reg. sententiae parere velit, et  
absoluendi: post annum vero ad delegantem rem-  
debet.

NB. Prælatus provincialis potest absolue-  
re omnes, quos prior aut Guardianus excommunicat.  
Archiepiscopus vero non potest absolue-  
re subditos Episcopi, nisi ad ipsum sit appellatum. Episcopus  
quoque Excommunicatos Regulares à proprio Prae-  
lato ex causa pertinente ad regularem disciplinam,  
soluere non potest, quia *correctio Monachi primo loco  
Abbatem spectat*, nisi regulares non exempti ab ipsius  
sententia praelati ad Episcopum appellent.

Cæterum, præter hos, qui numerati sunt, nem-  
pe, solvere potest. Ratio, quia Iudicialis causa, per  
citationem, quæ necessariò sententiam Censuram  
recedere debet, coram proprio Iudice cœpta est.  
ergo si alius Iudex quicumque (præter superiorem, suc-  
cessorem vel delegatum) se intromittat, & Reum  
soluere tentet, manifestò eius Iurisditionem  
& inturbat.

NB. Quod si autem ligatus excommunicatus  
longissimè distet ab authore, paratus satisfacere,  
test interim absolui ab inferiore, præstita cautio-  
ne, quamprimum poterit, còspectui eius, ad quem  
Ordinario absolutio spectat, se præsentare velit.

3 Quicumque iure ordinario, vel privilegio potest  
soluere à censura iuris, is etiam potest absolue-  
re à censura per sententiam generalem Ratio, quia ce-

si iura generaliter lata non continent propriè sententiam iudicis, quam rescindere alius non possit, sine violatione Iurisdictionis, sed potius continent præceptum, sub tali pœna siue censura impositum, ideoque æquiparatur in hac parte censuræ iuris.

Præuentus à Iudice (exemplum habes in causa Paro-  
4 rochi Kulcensis) forum ipsius in eadem causa declinare non potest. V. C. Subditus Episcopi, seu ratione domicilij, seu ratione solius delicti, excommunicatus ab Episcopo suo mutans domicilium non potest ab altero Episcopo absolui, eò quod prior Episcopus, qui excommunicauit propter causam in Consistorio suo cœptam & nondum absolutam, ius in excommunicatum adhuc retinet. At verò, si quis in propria diœcesi iuris excommunicationem, aut sententiæ generalis contraxit, ac postea in alium episcopatum commigret, potest tunc ab Episcopo loci absolui.

Potestas absoluendi à Censuris, interdum delegatur personæ particulari, & quandoque etiam respectu certæ causæ, interdum verò vniuersim Episcopis, Ordini Regularium, &c.

Si potestas absoluendi à censuris absolutè concedatur, intelligitur etiam in Ordine ad forum externum, nisi ex adiunctis aliud colligi debeat.

NB. Cum in Bullis Iubilæi, aut Cruciatæ datur potestas Confessarijs absoluendi ab omnibus peccatis, & censuris, intelligi debet in ordine ad forum conscientie tantum: sic absolutus à peccatis enormibus, V. C. Magia, nihilominus tamen puniri potest à Magistratu: quia forum Conscientie, & forum externum Iudicij valde distincta sunt: siquidem in illo præcipue spectatur animæ salus & diuinæ offensæ compensatio: in hoc verò

ad publicam etiam vindictam, & Reipublicæ satisfactionem attendi debet.

- 7 Absolutio data in foro Conscientiæ tantum, (C. ab excommunicatione notoria) non prodest in foro externo, nisi Iudex eam ultro acceptare velit, & accusationem fiscalis repellere quod potest.

Quod si Excommunicationis V. C. Censura coacta fuit, tunc non prohibetur, qui ab ea in foro conscientiae absolutus est, etiam publicè celebrare.

Quod si excommunicatio notoria fuit, & ad forum iudiciale deducta fuit, tunc si quis celebravit & absolutus fuit in foro conscientiae, absolutio celebratio cedit aliquomodo in præiudicium forei externi: ut proinde Iudex ialem absolutionem remittere non cogatur, sed celebrantem tanquam irregularem punire possit. Hinc privilegiatus sine consensu Ordinarij absolvi facillè non debet à clericis notorijs, si eam ad forum iudiciale deductam, probabiliter deducendas putat. Ratio, quia absolutio danda non est, priusquam pars laica & Ecclesiastica laesa, satisfactum sit. Propterea quod Reus, postquam absolutionem consecutus non ita efficaciter ad profectandam emendationem urgeri possit.

- 8 Absolutio à censura interdum confertur ad cautelam, si dubitetur V. C. Absoluto, si incurrit interdum ad reincidentiam cum certa conditione, quam nisi absolutus intra præfixum tempus, quod primum potest, Ordinarius se sistat, & partilacis satisfaciat. Quod si reincidatur, requiritur nova contumacia, & nova sententia.